

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

**Parisiis, 1644**

III. De clericis siue laicis, quorum manus alii cum iniuria super idolorum  
sacrificia posuerunt.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15072**

- ANNO  
CHRISTI 314. XX. De adulteris & eorum pænitentia, siue vir sit, an mulier.  
XXI. De mulieribus quæ fornicate, partus suos necant.  
XXII. De his qui volentes homicidium fecerunt.

- XXIII. De his qui more gentilium vivunt.  
XXIV. De eo qui sororem sponsæ siue vitiauit, vel virginum corruptionibus consciit sunt.

## C A N O N E S.

## I.

PRESBYTEROS qui immolauerunt, & postea certamen iterum inierunt, si hoc ipsum ex fide, & non aliquo argumento sibimet præparantes, egerunt, vt iterum teneri viderentur, aut tormentis subiici putarentur, tamquam inuiti : si ex fide ergo luctati sunt, & non ex compacto, ad ostentationem, vt caperentur, ipsi fecerunt : hos placuit honorem quidem sedis propriæ retinere : offerre autem illis, & sermonem ad populum facere, aut aliquibus sacerdotalibus officiis fungi, non liceat.

## II.

Diaconos similiter qui immolauerunt, postea autem iterum reluctati sunt, illum quidem honorem habere oportet : cessare vero debent ab omni sacro ministerio, ita vt nec panem, nec calicem offerant, nec pronuntient : nisi forte aliqui Episcoporum consciit sint laboris eorum, & humilitatis, & mansuetudinis, & voluerint eis aliquid amplius tribuere, vel adimere. Penes ipsos ergo de his erit potestas.

## III.

Qui fugientes timore persecutionis comprehensi sunt, vel a familiaribus, seu a domesticis traditi, vel bona propria amiserunt, vel sustinuerunt

Concil. Tom. 2.

H ij

tormenta , vel etiam carceribus inclusi sunt , & ta-  
men proclamauerunt se esse Christianos ; quin  
etiam , perseverante violentia , ad id vsque perdu-  
cti sunt , vt manus eorum apprehensas & violenter  
attractas super sacrificia imponerent , illis scilicet  
perseuerantibus in fide , & Christianos se esse vo-  
ciferantibus : hoc ergo quod eis inuitis , aliis co-  
gentibus , contigit , si lucretu & mœrore animi acer-  
be se ferre demonstrent , ipsique humili per bo-  
nam conuersationem habitu incedentes , dolere se  
id quod inuiti coacti sunt , doceant , hos tamquam  
inculpatos a communione non vetari . Si autem  
iam prohibiti sunt ab aliquibus a communione ,  
maioris diligentiae & inquisitionis causa , aut per a-  
liquorum ignorantiam , statim recipi oportet . Hoc  
autem obseruari conuenit & de clericis , & de laicis  
omnibus . Laicos sane , qui in similes necessitatis  
causas inciderunt , tamquam nihil peccauerint , ma-  
xime si eos probabilis vita commendet , ad ordina-  
tionem recipi placuit .

I V.

De his qui sacrificare coacti sunt , insuper in  
templis idolorum cœnauerunt , si qui eorum cum  
habitu cultiore ad templa perducti sunt , atque ibi ,  
preciosiori veste adhuc mutata , cœnæ participes fa-  
cti sunt idolorum , indifferenter sumentes omnia  
quæ fuerunt apposita : placuit eos inter audientes  
vno anno constitui , tribus autem aliis annis agere  
pœnitentiam : sed ex ipso triennio per biennium  
tantummodo orationi communicare , tertio autem  
anno reconciliari sacramentis .